



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 182. Et exuentes eum. v. 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 181. *Congregaverunt ad eum universam cohortem. v. 27.*

Milites qui erant pro custodia Pilati, vigilantes circa prætorium, non suis contenti nequitiis, quas exercebant in Iesum, congregaverunt primum totam cohortem (absque dubio instinctu & suasione invidorum principum Iudæorum) ut Christum quasi fictum pictumque regem Iudæorum per ludibrium regis insignibus ornarent & salutarent: est enim militum genus crudele, & quidem sub Romanis eo tempore valde sævum sæpe voluptatem capiens ex contumeliis. cohors autem erat decima pars legionis, continens milites 1250. quis autem hic non obstupescat, non contremiscat? omnibus membris, ad tantorum militum furentium adventum? quis nobis hic exponet quanta cum rabie & insultatione Christum invaserint? quis sibi temperare poterit à lacrymis, contemplans quid quisque militum faciat, circa Iesum & cum eo. hic tenebat, alter ligabat, unus catenas, alter funes parabat, pars virgas, pars spinas, cum omni ludibrio. In summâ, alii quidquid poterat inveniri ad Christi castigationem crudelius asportabat. Non possum hic continere lacrymas. video enim caput sanguine madidum, dorsum, ventrem, pedes, brachia, sanctissima membra Iesu mei intumescere ante flagellationem ô quis non fletet contemplans hoc crudele spectaculum!

ET quomodo, suavissime Iesu, tui unquam de corde oblivisci potero? quomodo ulla alia pro re laborare mihi libebit, quam ut sublimi amori tuo vicem reddam: iam vero si nullies me ipsum rependam, quid sum ad Dominum meum? tu enim es Deus, ego homo, tu Creator, ego Creatura tua, tu sanctus & immensus, ego fragilis & vilis peccator. Veruntamen conabor tuo suffultus auxilio, ut admirabile hoc opus nunquam è mea memoria excidat, quod tu Dominus dominantium, non modo velut servus, servorum, sed etiam Iudex Creaturarum omnium, veluti reus à tuis Creaturis malè imò pessimè, coarctatus & tractatus fueris & quidem pro salute ipsorum! Domine, fateor me non posse loqui.

§. 182. *Et exuentes eum. v. 28.*

Suis scilicet vestibus, nempe toga inconsutili, quæ cum ipso creverat, & quæ à S. Helena conquesta S. Agritio Trevirorum Archiepiscopo donata, hæcenus in ea Ecclesia servatur, & nunc dum hæc typis edo, post 70. fere annorum, ob bella, latebras, iterum Festo Ascensionis Domini & Pentecostes, & S. Ioannis ostenditur Treviris, ingenti hominum concursu. Aliis item vestibus, ita ut totus denudatus ligaretur ad columnam, omnium oculis pateret nudam amabilem & formosissimum Corpus Iesu, in sui maximam ignominiam! & quidem ad flagella. ô ignominiam! si enim nuditatem

P 3

ipsam

ipsam consideremus, verecundiam homini adducit ingenuo morte gravio-
rem. Hinc Adam & Eva, licet præter ipsos nemo adhuc in mundo foret, eru-
buere tamen, ob suam nuditatem: & consuerunt folia ficus & fecerunt sibi
perizomata, ne hoc contentus Adam, abscondit insuper se cum vocem Dei
audiret. Et hæc persona Christi infinite dignior est persona Adami, illa nimi-
rum est, quæ cælum stellis, terram floribus, aves pennis, pisces squammis,
quadrupeda pilis vestit, quique Virginum sanctarum & sanctorum ut Agae-
tis, Felicis in Pincis & aliorum pudicitiam miraculo sæpe texit, denique ij
coram quibus nudatur plurimi sunt, cohors videlicet integra gentilium, qui
circumcisis mirifice erant infensu, & irrisores petulantes, ex quibus collige,
quanta verecundia virginea Christi mens affecta sit, & quam se Adam ille
secundus libenter occultasset, si qua ratione salvo opere redemptionis per-
se & istimæ potuisset. Grande spectaculum mundo & Angelis! hic enim om-
ni vestitu exuitur, qui omnia vestit, coram omnibus confunditur qui confu-
sionem nostram tegit, viris, pueris, mulieribus, senibus & iunioribus, consi-
derandus exponitur. Prò facinus! sed cur ita? ne in æternum nos confunde-
remur, id quod certo nobis futurum erat, nisi Christus pro nobis hanc de-
nudationem & confusionem sustinisset. ô quis tam ferreo iam pectore erit,
ut ista eum non emolliant! Dominus Iesus, Dominus dominantium erubescit
ad nuditatem suam, ita ut credam maximam ejus crucem fuisse nudita-
tem illam publicam, & tu, ô homo, creatura ipsius non erubescis? sapius re-
ipsummet denudare? lascivire coram Deo? Angelis? hominibus pro tua so-
lummodo libidine vel ostentatione corporis tui & membrorum ad illece-
bram.

Domine Rex & Pater cœlestis, nudus quidem egressus sum de utero
matris meæ, & nudus revertar ad terram tenebrosam & opertam mor-
tis caligine, & in nuditate gratiæ Dei concepit me mater mea. obsecro ta-
men hanc mihi condonari gratiam, ut nunquam nudus inveniatur, aspiciat
aut aspici velim, sed fugiam & erubescam verecundè & piè ad omnem nu-
ditatem, corporum omni tempore vitæ meæ, in memoriam tuæ nuditatis,
& si quomodo peccavi in hoc genere, tua nuditas & verecundia fiant regu-
mentum inverecundiæ meæ & absolutio peccati.

§. 183. *Chlamydem coccineam circumdederunt ei. v. 28.*

Postquã esset pius Iesus spoliatus omnibus & propriis vestibus, & nudus
tam crudeliter revinctus ad columnam, virgis, uncis, loris & catenis, laceratus,
ut pro homine vix agnosci posset, sed potius similis excoriatæ bestiæ videretur,
ut & ipsi carnifices confunderentur ob exercitam crudelitatem, præter
morem